

221

219

225

215

230

210

270

170

320

120

Ende

Anfang

206

pro sui stabilimento. Sunt enim altiore in mari, quantum arcus jacere potest, petrae et scopuli praerupti scyllaeque et rupes de profundo consurgententes, et super aquam excrescentes et eminentes, inter quos mare semper fremit etiam quando alibi quiescit, et percutit petras cum tanto impetu, quod aqua allisa in altum salit, et sonitum magnum facit, qui per longa maris et terrae spatia auditur. His scopulis septus est portus ille, ac si artificialiter in ejus munitum essent ibi circumpositi: nec patet parvis navibus ingressus, nisi ab una parte per medium duorum eminentium scopulorum, per quos magna cautela naves inducuntur, quia aqua ibi mira celeritate currit et recurrit impetuose ad utramque partem scopulorum se aliens. Et nisi barcalerus sive barcarius sit circumspectus, aqua barcam rapit, eamque scopulis illidit, et in mille frustra confringit. Ideo intrantes oportet quod fortissime remo tumentes fluctus confringant, ne barca elevata a medio dilabatur ad hanc vel illam partem et ad rupes impingatur. Sit tamen barcarius quantumcunque agilis, vix potest effugere illapsum aquae deorsum decidentis, ab utraque parte sursum ex forti collisione ad petras projectae. Isti sunt scopuli Andromedae, ut patet.

Nona die, longe antequam illucesceret, venit quidam Sarracenus cum lumine in nostram speluncam, excitans nos ad recessum. Surreximus ergo cum laetitia et de carcere egressi sumus, quasi captivi de loco captivitatis corum (50A) Est autem ad partem aquilonarem inter speluncas et mare descensus per rupes ad locum, ubi asinarii cum asinis stabant et via per descensum est stricta, inter parietes petrarum, ita quod non potest quis ire nec ad dextram nec ad sinistram nisi per hoc medium. Stabant ergo domini patroni cum Sarracenis ante artitudinem, cum luminibus, lucernis et faculis, et unum peregrinum post alium de nomine suo et genitoris interrogabant, et in cedula, quam inscriperant in exitu nostro de mari, nomen quaerebant; et eo invento peregrinum illum descendere permittebant ad gregem asinorum, qui inferius juxta mare stabant. Si autem minor numerus fuissest peregrinorum, vel major, de quo patroni rationem reddere non potuissent, omnes retrusi in carceres fuissemus. Descendimus ergo ad locum

